



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XI. De Cognatione Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULVS XI.

De
Cognitione Spirituali,

QUÆRES 1. Quid sit cognatio spiritalis? Respond. Est propinquitās quæ personarum ex dispositione Ecclesiæ veniens, propter susceptionem & collationem baptismi, vel confirmationis, dicitur baptismi vel confirmationis; ex reliquis enim sacramentis impedi-
mentum hoc non oriri cap. fin. h. t. in 6. clare demonstratum est: Ratio autem cur ex his duobus tantummodo sacramentis, & non ex aliis impedimentum hoc oriatur, est analogia nativitatis spiritualis, quæ fit in his duobus sacramentis cum nativitate naturali: Sicut enim homo in utero materno primo nascitur debilis etiam est, donec vegetior factus robustior, omnibus membris perfectus edatur in lucem, ita similiter in gremio sanctæ Matris Ecclesiæ prius animatur per baptismum, quod est primum vivificans sacramentum deinde per confirmationem ita roboratur, ut per publicam fidei professionem quasi in lucem prodire, & occurrentia pericula apostasiæ labe vincere possit, in quo hoc sacramentum nativitati naturali affine est. Unde sicut impedimentum cognationis naturalis ex nativitate nascitur surgit ob reverentiam sanguinis, ita congruenter censuerunt Cænes ad illius imitationem impedimentum cognationis spiritualis ob reverentiam sacramentorum sacramentorum introducere.

QUÆRES 2. Inter quos impedimentum

cognitionis spiritualis contrahatur? Respond. Impedimentum hoc, cujus olim iure decretalium triplex erat species, videl. paternitas, compaternitas & fraternitas, hodie juxta dispositionem Concilii Tridenti sess. 24. c. 2. de reformat. matrim. ex baptismo contrahitur tantum à patrino, baptizato, ejusque patre ac matre, atque à baptizante, ultra quas personas impedimentum hoc non extenditur, quæ hoc versu comprehenduntur.

*Tingens suscipiens, tindus, tinctique parentes,
Sunt ex baptismo cognati spirituales.*

Similiter in confirmatione cognatio spiritualis confirmantem, confirmatum, ejusque parentes & patrinum afficit nec ulterius procedit, quas personas versus sequens comprehendit.

*Præsul, patrinus, confirmatique parentes,
Et confirmatus conjungi iure vetantur.*
pro cujus meliori intellectu.

Nota primo: Impedimentum cognitionis spiritualis quantum ad baptismum oriri ex immediatâ susceptione ex baptismo, hinc si non patrinus sed obstetrix, ut ordinariè fieri solet, puerum ex manibus sacerdotis post collatum baptismum immediatè suscipiat, non patrinus sed obstetrix cognitionem contrahet.

Nota secundo: Si plures patrini fuerint, parochi officium erit, ex pluribus ad summum unum, & unam designare, qui infantem suscipiant, *Trid. loc. cit.* quod si is, nullos designarit, & omnes infantem immediatè susceperint, omnes cognati spirituales fient.

Nota tertio: Impedimentum hoc contrahi etiam à laico, privatim & in necessitate baptizante, non

tamen à parentibus si ipsi infantem in necessitate baptizâriat, ac ex sacro fonte susceperint, & ideò nec ab exigendo nec à reddendo debito impediuntur, quod intellige à parentibus matrimonio junctis contrarium enim de prole ex fornicatione susceptâ dicendum foret.

TITVLVS XII.

De

Cognitione legali.

QUÆRES 1. Quid sit cognatio legalis? Respond. Cognatio legalis sic dicta quia ortum duxit à legibus Civilibus per SS. Canones postea approbatis, est *propinquitas personarum poventiens ex adoptione.*

QUÆRES 2. Quid sit adoptio & quotuplex? Resp. Adoptio est actus legitimus per quem is qui filius vel nepos non est, in filium vel nepotem assumitur; & communiter dividitur in perfectam & imperfectam; perfecta quæ propriè arrogatio dicitur, est, quâ persona extranea, quæ sui juris est, rescripto Principis, transit in familiam & potestatem adoptantis, ita ut ipse hæres necessarius fiat ex testamento, uti filius carnalis. imperfecta autem vel adoptio specifica est, qua filius familiæ in potestate patriâ constitutus ab aliquo alio in filium vel nepotem assumitur, quia transeat in ejus potestatem vel familiam, nec sit hæres necessarius ex testamento, licet succedat ab intestato, §. 1. & 2. *instit. de adopt. l. 10. Cod. eod.*

QUÆRES 3. Quæ sit inter dictas adoptiones differentia? Respond. Differentia inter utramque